APPARATUS

AD

HISTORIAM

SVEO-GOTHICAM

CELSIANI

SECTIO SECUNDA;

QUAM CONSENSU AMPL. ORD. PHILOSOPH. LUND.
EDI CURAVERUNT

H. REUTERDAHL,

PHIL. ET THEOL. D:R,

PRÆFECTUS BIBLIOTHECÆ LUND., ORDINI THEOLOGORUM ADJ.,

ET

BENED. ADOLPH LINDVALL,

SMOL.

DIE 26 MAJI 1841.

P. XLVI.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXLI.

Aphorismi Respondentis.

I.

Melius is nobis consulit, qui nostra reprehendit errata, quam qui omnibus dictis factisque appladaut.

II.

Orationes, quæ dicuntur, funebres superfluæ quodammodo sunt: in quibus faciendis, si quidem retinendæ sint, summa doctori religionis adhibenda cautio est.

Punctus XXXV.

Item districtius prohibemus, ne fratres de Eskelstuna transeant hostiatim pro elemosina colligenda, ne etiam solennes faciant apud ecclesias stationes, donec desuper ostendant privilegiorum evidentia documenta. Prohibemus etiam ne ipsi, aut etiam Domini mendicantes, aut alii quicunque, literas fraternitatis indiscrete concedant.

Punctus XXX.

Item statuimus quod omnes prælati residentiam faciant apud suas ecclesias cathedrales.

Punctus XXXI.

Item declaramus excommunicatos esse bona naufragantium spoliantes, nisi moniti restituerint sic ablata.

Punctus XXXVIII.

Item publicetur de ambone per curatos prædicantes, excommunicandos esse eos, nisi destiterint, qui execrabiliter et assidue jurant per membra Christi aut nomen Dei.

Punctus XXXIX.

Item districte præcipiendo mandamus, ne in diebus dominicis aut aliis præcipuis festivitatibus carnes vendantur publice in macellis, et ne pistores panes efferant in publicum ad vendendum; quod et de aliis mercatoribus et mercimoniis volumus observari.

Punctus XL.

Item præpositi rurales bis in anno examinent corporalia in eorum contractibus.

Punctus XLI.

Item mandamus missam votivam pro felici statu regni de gloriosa matre dei omni sabbatho per annum integrum a quolibet sacerdote provinciæ celebrari, nisi ea die ad celebrandam missam aliam sit astrictus, aut urgente necessitate fuerit impeditus.

Punctus XLII.

Item futurum provinciale concilium Anno Domini MCDLXXV, mense Julio, die XXIV. decrevimus celebrandum. Datum Anno Domini et loco quibus supra XIV. die mensis Januarii, nostris sub secretis præsentibus appensis.

Declaratio Concilii Basiliensis.

Publici autem concubinarii intelligendi sunt non solum hi, quorum concubinatus per sententiam aut confessionem jure factam, seu per rei evidentiam, quæ nulla possit tergiversatione celari, notorius est: sed qui mulierem de incontinentia suspectam et infamatam tenet, et per suum superiorem monitus, ipsam cum effectu non dimittit.

Cap. XXVII.

SUMMA CANONUM VARIORUM CONCILIORUM.

Exprimuntur hic leges quædam ecclesiasticæ, ex decretis variorum conciliorum excerptæ. Nullibi nisi in Bibliotheca Nettelbladiana inveniuntur, quamobrem ex hac exhibentur.

"Sequuntur collecta ex statutis Sabinensis et episcoporum, conciliorum provincialium et etiam synodalium, quæ dicenda sunt clero in synodo.

De Violatoribus.

Facientes violentiam in domibus sacerdotum prætextu hospitalitatis vel alia caussa, frangendo domos et ostia, violenter aliquid capiendo, vel violentas manus injiciendo in sacerdotes, vel eorum familiam, excommunicati sunt ipso facto.

De Advenis et ignotis Laycis.

Advenæ ignoti non admittantur ad contrahendum matrimonia, nisi super statu, seu quod sint soluti, per literas aut testes docuerint evidenter. Sacerdotes, qui tales benedixerint, in tribus marcis puniantur.

De Desponsatis.

Nulli desponsati ante præmissa banna et susceptam benedictionem nuptiarum condormiant, sub pœna trium marcarum.

De Concubinis Laycorum.

Si quis paterfamilias in domo sua publice, vel tanquam uxorem, tenuerit concubinam, canonica præmissa monitione in ecclesia parochiali, ab ingressu ecclesiæ ambo arceantur, et ante restitutionem, nisi eam desponsaverit, solvat tres marcas.

De Concubinariis.

Non communicentur laici concubinarii nisi desponsatis aut abjuratis concubinis. Presbyter contra faciens puniatur in tribus marcis.

O salutaris hostia cantetur diebus dominicis: et in reportatione a laicis memoria sanctæ crucis et animarum decantentur, et dantur XL. dies indulgentiarum.

De Perjuris, et eorum Compurgatoribus.

Principalis perjurus, qui alios secum inducit ad pejurandum, pœnitebit per septennium, et ad IX. marcas denariorum condemnetur: compurgatores vero, qui probabiliter decepti pejuraverint, solvent tres marcas et per quinquennium pœnitebunt, vel mitius, si ita visum fuerit imponenti.

De Confessoribus ordinariis.

Propter multarum animarum periculum circa casus occultos episcopo reservatos taliter duximus statuendum, quod in præcipuis festis cathedralium ecclesiarum deputentur confessores habentes auctoritatem episcopi. In ipsis ecclesiis cathedralibus et parochialibus ecclesiæ ad aliquot septimanas publice pronuntietur, quod habentes aliqua gravia peccata in tali festo inveniant confessores habentes auctoritatem absolvendi.

De Cathedratico.

In tota Upsaliensi provincia cathedraticum de ecclesiarum pecunia deinceps persolvetur.

De testamento Sacerdotum.

Sacerdos moriens, notabili paupertate non gravatus, tenetur ecclesiam cathedralem in suo respicere testamento.

De Presbyteris advenis, ignotis.

Presbyteri alienæ diœcesis, et præsertim de extraneis partibus advenientes, absque ordinarii vel officialis sui requisitione et speciali licentia, ad divinorum celebrationem nullatenus admittantur. Qui contra fecerit ad unam marcam denariorum episcopo loci obnoxius erit.

De Qvæstoribus.

Prohibetur omnibus et singulis curatis, ne aliquos quæstores in suis parochiis admittant, nisi habuerint literas suorum diœcesanorum, sub pœna trium marcarum.

De Scholaribus.

Presbyteri rurales seu curati scholares extra debita tempora arrestent sine literis evagantes, et res eorum assignent viciniori rectori scholarium, pauperibus scholaribus erogandas.

De Decimis inferendis.

Dominica prima adventus et dominicis sequentibus usque ad epiphaniam domini moneantur parochiani publice de ambone, ut decimæ ad granariam ecclesiæ inferantur; sed post octavas epiphaniæ domini, dum major pars restat de decimis, missa obmittatur; si minor pars restat, restantes ab ingressu ecclesiæ excludantur. Curati hoc statutum negligentes in tribus marcis punientur.

De siligine Domini Archi-Episcopo adferenda.

Curati siliginem ante dominicam quinquagesimæ ad curiam domini archi-episcopi non inferentes solvant duplum.

De fundo Ecclesiæ non transmutando.

Nullus fundum ecclesiæ vel habitationem ad alium locum transferat, vel transmutet, absque licentia diœcesani; et qui prædia ecclesiæ vel